DE

HAEMATEMESI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XVI M. DECEMBRIS A. MDCCCXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS FRID. BILLROTH

GRYPHIIS-POMERANUS

BEROLINI 1819.

FORMIS THEOPHILI BRÜSCHCKE.

Haematemesis.

Synonyma: Vomitus cruentus. Haemorrhagia ventriculi. Gastrorrhagia.

§. 1.

Symptomata pathognomonica hujus morbi nomen iam indicat, sanguis nempe vomitu rejicitur, isque semper fere coactus et ater, nec raro talis ut ne vix quidem sanguinis indolem referat.

Diagnosis.

§. 2.

Stadium prodromorum.

Prodromi hujus morbi plurimis in casibus per longius vel brevius temporis spatium adsunt: sensus dedolationis in toto corpore, color faciei pallidus, subflavus, oppressiones, tensiones circa praecordia, plenitudinis sensus, dolores in regione epigastrica et hypochondriaca sinistra, ardor ventriculi, anxietas magna cujus causam aegroti nesciunt, quaeque saepissime sumto cibo augetur, appetitus ciborum vel deletus vel justo auctior, alvus incerta, ructus crebri saporis acidi vel amari aut cum levamine aut cum

aucto dolore, nauseae, vomituritiores, vel et vomitus aquosi vel acidi laticis, interdum salivatio, susurrus aurium, oculorum obnubilatio, singultus, cephalalgia, vertigo, nec raro quasi lipothymiae sensus.

Symptomata haec saepius pro ventriculi inertia vel pro digestione laesa habentur et aegroti liquores spirituosos aut remedia stomachica hisce molestiis sinistre opponere solent, quin etiam medici incauti emetico vel remedio purgante praebito morbum periculosiorem reddunt, omnia enim symptomata augentur, nec raro tunc sub vomitu sanguis cum impetu ad mortem usque ex ventriculo prolabitur cf. P. Frank. 1)

§. 3.

Morbi accessio.

His sub symptomatibus aegrotus subito accessione corripitur, horripilationes cum phlogosi celeriter alternant, pulsus frequentior et contractior fit, partes extremae frigescunt, facies pallida collabitur, frigidus in fronte sudor erumpit, anxietas summum ascendit gradum, omnes evanescunt sensus et lipothymia invadit, tunc vapor tepidus ex ventriculo sursum agitur, quem vomitus convulsionibus comitatus sequitur, quo sanguis plerumque niger excernitur. Vomitu peracto lipothymia sensim sensimque cedit, partes extremae iterum calefiunt, aliquot horis praeter-

---

1) de curandis hominum morb. epitome lib V. P. II. p. 195.

lapsis aegrotus molestias in abdomine sensit et alvus sanguinem reddit.

§. 4.

Sanguis hocce vomitu ejectus fere semper ater et coactus est grumosque refert, raro limpidus, coloris floride rubri observatur; nonnunquam autem iidem aegroti Thilenio 1) et Tissotio 2) testibus sanguinem partim limpidum, partim nigrum et coactum evomuerunt. Sanguis aut integer aut una cum ventriculi partiumque vicinarum succis inquilinis seu contentis ejicitur. Interdum massa tenax pici, rob Sambuci, atramento, fuligini, sedimento coffeae, infuso fol. Nicotianae etc. non absimilis est 3); interdum autem sanguis jam ante ejectionem in partes suas constitutivas proximas secedit, quo fit ut si cruor in superficie sola ablutus est sanguinis grumi membrana quasi inclusi videantur 4), sin autem cruor ex toto a parte fibrosa secedit, haec non raro conglobatur et quasi carnis frusta excernitur 5) quod si fit sanguinem jam per aliquod tempus ventriculo etc. inhaesisse, facile patet.

Ejecta aut odoris et saporis expertia sunt aut odorem spargunt foetidum et fere cadaverosum aut acide, amare etc sapiunt.

---

1) Medic. u. chir. Bemerkungen. p. 240 et 243.
2) Sämmtl. Schriften übers. v. Kerstens. Th. 6. p. 103.
3) Reil's Fieberlehre. Bd. 3. p. 133.
4) Thilenius l. c. p. 241.
5) Samml. a. Abhdl. f. pr. A. Bd. 1. St. 3. p. 106.

§. 5.

Sanguinis quantitas per huncce vomitum amissa in variis casibus valde differt. Exigua plerumque est in infantibus sub dentitione vomitu cruento laborantibus; alias autem sanguis majori ejicitur copia et immensa sanguinis moles paroxysmis celeriter iteratis evomi potest, quod multa exempla ab auctoribus allata probant, qualia praestaut apud Schenkium 1) Rob. Whyttium 2), D'Apples 3), Henkium 4), Meyerum 5).

§. 6.

Sed unde venit sanguis vomitu ejectus? Hac de re diversissimae medicorum sunt opiniones. Vasa ventriculi propria, vasa intestinorm tenuium et mesenterii, hepar et praecipue lien pro fontibus sanguinis in haematemesi habita sunt; multi autem medici uni vel alteri horum prae ceteris sanguinis scaturiginem attribuerunt v. c. S. G. Vogelius 6) vasa brevia sola fere sanguinem edere credit, neque minus alii medici cadaverum sectionibus nisi quibusdam in casibus rem ita se habere affirmant v. c. Portalius 7), Richterus 8).

---

1) Observat. rarior. lib. 3. p. 328.

2) Sämmtl. z. pr. Arzneik. gehör. Schriften. p. 390

3) Samml. a Abh. f. pr. A. Bd. VII. p. 275.

4) Specielle Pathologie. Bd. II. p. 163.

5) Syst. Handb. z. Erkenntniss und Heilung der Blutflüsse. Bd. II. p. 173.

6) Handb. d. pr. Arzneik. Th. V. p. 76.

7) Samml. a. Abh. f. pr. A. Bd. VIII. p. 22.

8) Med. Chir. Bemerkungen Bd. I. p. 119.

A liene ipso sanguinem proficisci multi dixerunt auctores v. c. Richterus 1) Sprengelius 2) eandem materiem quam aeger dum viveret vomitu ejecerat e liene compressione adhibita in ventriculum coëgit. Sed quamquam res ita se habet, nihilominus tamen credere possum eadem via sanguinem fluxisse in corpore vivente; arteriae enim breves quae ex arteria lienali originem trahunt, nullo modo sanguinem e liene ad ventriculum vehere possunt, quia arteriam lienalem jam ante quam illa splen intrat relinquunt, nulla autem alia conjunctio, quantum scio, quoad vasa sanguifera lienem atque ventriculum intercedit, nam venae breves sanguinem a ventriculo ad venam lienalem ducunt et circulatio sanguinis in his partibus ex toto perversa esse deberet, si haecce vasa sanguini lienali viam ad ventriculum praebere possent. Attamen lien magnas agere potest partes in haematemesi excitanda, qua de re fusius disputabo, quando de causis sermo erit.

Sanguis igitur fere semper a vasis ventriculi et duodeni proficiscitur, multum autem de illo disputatum est, num sint arteriae num venae. Verisimillimum est plerisque in casibus sanguinem esse arteriosum, nam omnes fere haemorrhagiae quae sine causa externa oriuntur arteriosae sunt, 3) exceptis haemorrhoidibus, quo etiam fit ut in haematemesi cui haemorrhoides suppressae causam praebent venae

---

1) Specielle Therapie Bd. III. p. 315.
2) Pathologie Bd. III. p. 88.
3) Reil l. c. p. 156.

ventriculi haud raro varicosae inveniantur, quae si disrumpuntur, haemorrhagiam venosam faciunt. Multi etiam magni nominis medici haemorrhagiam hanc generatim arteriosam esse sanguinemque ab omnibus arteriis ventriculi scaturire posse credunt v. c. Ill. Berends, Reilius, Portalius 1) qui experimentis in cadavere hocce morbo defuncti institutis hanc illustravit opinionem, facile enim massa, quam in arteriam coronariam ventriculi injecerat cavum ventriculi petiit, nihil autem e venis sanguine tumentibus compressione adhibita in ventriculum cogere potuit.

Illud argumentum quod multi a colore sanguinis atro derivaruut, nihil sane probat, omnis enim sanguis sit arteriosus sit venosus, qui per aliquod tempus in ventriculo vel duodeno moratur jam a succis inquilinis ac contensis ita mutatur ut minime sanguinis meri speciem prae se ferat.

Quoad hepar quasi sanguinis in vomitu cruento fontem, non deficiunt observationes, quibus sanguinem ex ductibus biliariis per ductum choledochum duodenum petiisse probatur. Tales observationes inveniuntur apud Schoberum 2), Budeum 3) et Portalium 4).

§. 7.

Paroxysmo peracto plerumque febre afficitur ae-

---

1) Reil l. c. p. 156 — 158.

2) Ephemerid. nat. curiosor. Cent. 3. et 4. in append. N. 12. c. 1.

3) Earund. Cent. 1 — 2 Observat. 105.

4) Samml. a. Abh. f. pr. Bd. VIII. p. 19.

ger, quae tamen non semper exculta est; febris remittentis est typi et in aegrotis hoc morbo laborantibus quos observare mihi licuit, vespertino tempore exacerbabat. Non nunquam febris aliquid biliosi commixtum habet.

§. 8.

Haematemesis raro uno absolvitur paroxysmo, sed facillime recidivus fit morbus. Sub interni caloris sensu, sub levi febricula novae nauseae, oppressiones epigastrii, anxietas, dolores obtusi aut pungentes in hypochondrio sinistro, oscitationes, ructus nidorosi accedunt, ac saepius aegroti sanguinem sibi in ventriculo quasi colligi persentiunt, ipsumque mox vomitu novo rejiciunt. Certus autem typus non semper observari potest, sed haemorrhagia incertis intervallis redit, non nunquam pluries eodem die aut pluribus jam praeterlapsis diebus, saepissime post sumtum cibum vel potum aegroto non convenientem. Tortius, Weberus et alii vomitum cruentum cum paroxysmo febrium intermittentium redientem observarunt. Haud raro alias refert periodos, praecipue si cum anomaliis catameniorum vel haemorrhoidum nexum alit causalem.

§. 9.

In haematemesi aeque ac in aliis haemorrhagiis v. c. in haemorrhagia oris et faucium, organorum respirationi inservientium etc. sanguis ore evacuatur et haematemesis primo intuitu cum hisce haemorrhagiis commutari potest, quamobrem harum haemor-

rhagiarum symptomata ab haematemesis symptomatibus diversa hic afferantur necesse est.

Non facile haemorrhagiae oris et faucium pro haematemesi habebuntur, omnia enim symptomata, quae ventriculi affectionem indicant, desunt et sanguis simplici exspuitione emittitur facileque inspecto ore undenam prodeat innotescit. Interdum tamen, loco a quo abit haemorrhagia altius in pharynge posito, tussiculam sanguis movet aut vomendi voluntatem prout vel in laryngem vel in oesophagum sanguinis aliquid deciderit.

In epistaxi aut haemorrhagia faucium sanguis deglutiri potest, praesertim si haemorrhagia dum somno sepultus est aeger, perficitur. Sanguis deglutitus vomitu vel alvo rejicitur, sed jam eo cernitur hanc affectionem non esse haematemesin veram, quod omnia deficiunt symptomata quae illam comitari solent et aeger praeter debilitatem sanguine amisso proditam satis bene se habet. Praeterea sanguinis scaturigo saepissime jam inspectione accuratiori detegitur, in eo enim loco plerumque sanguinis inveniuntur thrombi.

Eodem modo infantes mammis matris adhuc utentes sanguinem deglutire possunt, si mater hisce locis vulnere aliquo affecta sit, quod autem mammis inspectis jam elucet.

Diagnosis haematemesin inter et haemoptysin non semper aeque facilis est, praesertim si medicus paroxysmo non intererat. Hac in re respiciendum est tam ad causas quam ad symptomata ut recte, unde promanet sanguis, cognoscatur.

Causae haemoptysis valde differunt ab haematemesis causis (§. 11); pessima omnino est causa praedisponens, diathesis nempe phthisica, quae totius corporis habitu magnaque systematis sanguiferi incitabilitate diagnoscitur. Causae occasionales praesertim sunt: vehementior pectoris et pulmonum nisus in attollendis ponderibus, in saltu, cantu, tussi, vociferatione, tibiarum aut tubarum inflatione, in deponenda alvo, aut partu edendo, colli, pectoris aut abdominis nimia coarctatio, aër calidus et siccus vel nimium rarus et levis uti est in montium cacuminibus, vel frigidior humidiorve, motus corporis concitatior in cursu, lucta, lusu, scalarum et locorum acclivium ascensus etc.

Haemoptysin alii antecedunt prodromi quam haematemesin (§. 2). Fere hi esse solent: dolor, pondus aut calor in pectore sentitur, nec raro calor pectoris externe etiam auctus, aegre spiritus ducitur aut cum punctionis divulsionisve alicubi, praesertim ad scapulas sensu copulatur, aut major aëris quantitas hauriri inspirarique nequit quin tussis et sanguinis sputum oriatur. — His praegressis pruritus et calor aliquis in larynge tracheave percipitur et quodammodo calide sursum ascendere videtur sanguis antequam levi tussicula ejiciatur; si vero profundiore e loco pulmonum scaturiat tussi validiori expelli solet et murmuris strepitusque quoddam genus efficit. Omnino etiam in haemoptysi partes extremae nonnunquam frigescunt, sed non tam vehementer quam in haematemesi et affectiones spasmodicae abdominis, quae haemoptysin interdum comitari solent, minime

cum illis molestiis haematemesi propriis confundendae sunt. Nullam vero aliam haemorrhagiam tam facile lipothymia insequitur quam haematemesin. — Qualitas sanguinis ejecti non eadem est in haematemesi ac in haemoptysi. Sanguis haemoptysi emissus plerumque vegetum ruborem refert et spumosus ab aëre admixto est, quamobrem scripsit Hippocrates: „qui sanguinem spumosum exspuunt his ex pulmone talis rejectio est." 1) Rara enim sunt exempla in quibus sanguis ater, densus atque coactus apparuit, sed adsunt. 2) — Illud diversitatis signum minus valet, quod sanguis in haematemesi acide reagat, nam qualitas haec solummodo a succo gastrico admixto dependet, qui non semper sanguini admiscetur. 3) — Quantitas autem sanguinis ejecti in haematemesi illa in haemoptysi major est.

Praeterea aliae res sanguinis coacti speciem indutae vomitu rejici possunt, bilis coacta et corrupta, contenta quae a ferro vel a tannino vel a cibis v. c. a cerasis, a baccis plurium specierum Vaccinii etc. tincta erant. Haec autem jam eo a sanguine distinguuntur, quod bilis aqua solvitur eamque non uti sanguis rubro sed flavo aut viridi tingit colore; materiae aliae plerumque ab aqua non solvuntur earumque per os rejectionem nulla haematemesis symptomata comitantur, et medicus paucis jam de cibis sumtis quaestionibus errorum evitabit.

---

1) Aphorism. 13. Sect. V. 2) Burserii institut. med. pract. Vol. IV. P. I. p. 22.

2) Spangenberg ü. d. Blutflüsse in mediz Hinsicht. p. 320.

Haematemesis simulata, ubi nempe homines sanguinem consulte sumtum vomitu vel sedibus excernunt, facile symptomatum haematemesi verae propriorum absentià diagnoscitur.

§. 10.

Quod attinet differentiam vomitum cruentum acutum inter et morbum nigrum s. melaenam, in illo constare videtur, quod melaena chronica est affectio cui (Ill. Berends teste) saepissime labes hereditaria subest, debilitas nempe vasorum systematis venae portarum, quod autem seminium variis rebus acquiri potest. Longum per tempus aeger jam aliis vexabatur morbis praesertim abdominis, prodromi non raro plures per annos adsunt et cachexia quae hominem occupat ejusmodi esse solet, ut fere nunquam perfecte sanari possit. Dolores totum afficiunt abdomen usque ad columnam vertebralem, sanguinis coacti et atri diu magna quantitas ano excernitur et saepissime nullo praegresso vomitu, totoque ex tubo intestinali sanguis scaturire videtur. Paroxysmo peracto dolores aliaque symptomata remittunt quidem et interdum intermittunt, aeger autem debilis et tristis, coloris faciei cachectici observatur, pulsus debilis est totumque corpus emacrescit, et inevitabili fato plerumque citius tardius exstinguitur aegrotus. — Haematemesis acuta saepissime in hunc abit morbum nigrum, praesertim si causae ipsius difficiles sunt sanatu, et tunc etiam si aeger non caute evitat potentias nocivas, quae haematemesi periculum adducunt

§. 11.

Aetiologia.

Causa proxima haematemesis effluvium sane est sanguinis in ventriculum seu duodenum, omnia autem quae hoc efficiunt effluvium ad causas remotas referenda sunt.

Omnia ad hunc praedisponunt morbum, quae liberae in abdomine circulationi obstant, constitutio corporis sic dicta atrabilaria, temperamentum melancholicum, ubi proclivitas ad congestiones et obstructiones abdominis frequentissima; vita sedentaria praesertim apud illos qui simul abdomen comprimunt; non raro etiam graviditas in primis potissimum mensibus. Prae ceteris autem impedimenta circulationis in visceribus abdominis, vitia organica hepatis, lienis, pancreatis nec non ventriculi ipsius, tumores, aneurysmata, varices. Omnia haec sanguinis a ventriculo refluxum difficiliorem reddunt; sit v. c. lien quovis modo sanguine minus pervius, hoc omnino efficiet, ut art. lienalis sanguinem non eadem quantitate in lienem demittere possit et plus igitur sanguinis ad alios art. coeliacae ramos urgeat ibique congestionem efficiat, praeterea lien tumidus vasa brevia comprimit et sic quominus refluat a ventriculo sanguis impedit, congestionem ergo et stagnationem facit.

Circulatio autem sanguinis spasmis solis perverti potest quamobrem haematemesis saepenumero hysteriae, malo hypochondriaco aliisque affectionibus spasmodicis supervenire solet.

Debilitas et relaxatio viscerum abdominis et praesertim ventriculi huic morbo praedispositionem parare possunt, rebus enim sic se habentibus facile congestio passiva fit quia ista organa sanguinem justo tardius depellunt. Debilitas haec saepissime oritur abusu spirituosorum, veneris etc. in casu nuper a me observato ex lactatione nimia prodiisse videbatur; alii nimiam salivationem haematemesin secutam esse tradunt 1)

Quanto major est praedispositio eo minoribus causis occasionalibus vomitus cruentus effici potest, bili acri 2), emeticis fortioribus, (sicuti omnis vomitus chronicus, cruentus reddi potest) purgantibus drasticis 3), emmenagogis sic dictis calidis, animi affectionibus, 4) ira, moerore, ventriculi ultra modum impletione, indigestione, potu frigido corpore ardente sumto 5), refrigerio praesertim pedum etc. — Causae autem occasionales ejusmodi esse possunt ut praedispositione evidenti vix egeat, hujusmodi sunt ventriculi laesiones tam externae v. c. contusiones et vulnera abdominis, ictus vel gravior casus, quam internae potentiis nocivis proditae, quae et mechanice et chemice partes internas laedere possunt, tales sunt: vermes intestinales, hirudines deglutitae, vitrum, acus, aliaeque res acutae, venena fortiora quae partim

1) Sagar system. morbor. sympt. p. 290.
2) Richters mediz. chirurg. Bemerkungen. Bd. I, p. 109.
3) Tissot l. c. p. 131.
4) Nicolai's Pathologie Bd. 6. p. 473.
5) Tissot l. c. p. 134.

tunicas erodunt et sic haemorrhagiam per diabrosin faciunt, partim autem stimulo quem exerunt fortiori spasmisque ex illo ortis effluvium sanguinis provocare possunt. His in casibus non nunquam signa inflammationis simul adsunt et haematemesis inflammatoriae indolis est, quod tamen rarius a medicis observatum.

Creberrima sane est causa occasionalis haemorrhagiarum suetarum suppressio, quo praecipue pertinent menses et haemorrhoides; sic haematemesi obnoxiae sunt femellae inprimis quae alvi sunt adstrictioris tempore pubertatis ubi menses primo imminent, neque minus desinente mensium fluxu haematemesis accidere potest. Friedr. Hoffmannus haematemesin in foeminis, quae partu difficillimo ex pravo foetus situ laboravere, observavit. 1)

Ex rheumatismo et arthritide atonica retrograda, ex plica polonica 2) et exanthematibus chronicis retrogressis, metastasi ad abdomen facta, haematemesis originem ducere potest.

In cachexia scorbutica sicuti in morbo maculoso haemorrhagico Werlhofii haemorrhagia ventriculi aeque ac haemorrhagiae aliarum partium oriri potest.

Quaevis febris inflammatoria quae majori vi in corpus agit vomitum cruentum procreare valet 3). Febrium intermittentium paroxysmos non nunquam haema-

1) l. c. p. 213.

2) de la Fontaine mediz. chir. Abhandl. Pohlen betreffend.

3) S. G. Vogel l. c. p. 78.

haematemesis comitatur uti jam a Tortio et Webero observatum 1); saepius autem illas insequitur febres si nempe obstructiones viscerum, placentas sic dictas febriles reliquerant.

Haematemesis quoque epidemica observata est v. c. Martisburgi a Fr. Hoffmanno 2) et bis Gadibus.3)

Omnes fere medici conveniunt, sexum sequiorem virili magis obnoxium esse huic morbo, quamquam Richterus contrariam profitetur opinionem 4). Sed infantes quoque vomitu cruento correpti observati sunt, uti Riesenbeckius infantem quinque dies natum hoc morbo laborantem vidit, 5). Sub dentitionis periodo non raro accidit. Ill. Berends infantes in eruptione variolarum verarum sanguinem evomentes observavit.

§. 12.

Prognosis.

Pro causis diversa est prognosis, in genere tamen mala, partim quia plerumque causae remotae tam magni sunt momenti, partim autem quia organa digestionis saepius recrudescente morbo facile ita de-

---

1) Nicolai l. c. p. 482.

2) Opera omnia physico-medica. T. II. p. 213.

3) Mem. de Toulouse. T. II. — Richter's chirurg. Biblioth. Bd. 12. p. 195.

4) Specielle Therapie. Bd. 321.

5) Schmucker's vermischte Schriften. Bd. 1. p. 347.

bilitantur ut homo sensim sensimque exhauriatur atque ad hydropem vel ad tabem perducatur.

Illi saepissime status morbosi qui haematemesin provocant nec ipsa sanguinis amissio aegrum necant, quamquam etiam tantum eructari potest sanguinis ut mors ex inanitione sequatur, quod tamen raro accidit; plura autem exempla ab auctoribus afferuntur aegrotos magnas amisisse sanguinis moles et tamen vitae superstites fuisse 1).

Vomitus ille cruentus qui febribus supervenit, raro bonae sed semper fere malae est prognoseos et in febribus typhosis lethalis.

Minus periculi periodicae imminet haematemesi, quae pro mensibus vel haemorrhoidibus alternat, et plerumque etiam illae quae in feminis utero gerentibus et in infantibus sub dentitionis tempore obvenit. Vomitus autem cruentus quem Ill. Berends sub variolarum eruptione observavit summi periculi signum erat.

In genere igitur quanto facilius amoveri possunt causae remotae quantoque robustior est constitutio aegroti eo minus periculi adest et contra.

Si vomitus mox sedatur, lipothymia cessat et aeger sensim sensimque sano tingitur colore faciei spes salutis adest, sin autem peracto vomitu affectiones spasmodicae non remittunt, praesertim si extremae partes frigidae manent, tunc facile recidivus fit morbus inque melaenam abit et ad hydropem vel ad

1) Rob. Whytt, Schenk etc. l. c.

tabem aegrum perducit, praeterea his in casibus causae ejusmodi esse solent, ut nihil de illarum curatione sperandum sit.

Haematemesis ergo, uti jam supra dictum, non semper malum habet exitum sed saepius sanatur, quin imo alios per illam remotos esse morbos, observationibus constat 1).

Cura.

§. 13.

Haematemesis pro indole ipsius diversa et pro causarum remotarum diversitate nunc hanc nunc illam exigit curationis methodum.

Generales autem indicationes hae sunt:

1. Ut causas remotas tollere aut saltem imminuere conemur.
2. Ut sanguinis profluvium caute moderemur atque paroxysmi symptomata sedemus.
3. Ut morbi effectus auferre atque ejus reditum praevenire studeamus.

§. 14.

Cura prophylactica.

Si prodromi haematemesis jamjam apparent quam possumus id efficere debemus, ut praevertamus paroxysmum, quod nonnunquam fieri potest. Praeser-

1) Gall. med. phil. Untersuch. Th. 1. p. 209. u. 651. — Tissot. l. c. p. 144. Nicolai l. c. p. 486.

tim agendum est in potentias nocivas, quales facile haematemesin efficere constat, hoc pro diversitate vario modo fieri debet, quovis autem in casu magnae erit utilitatis alvum semper fluxam servare, atque frictionibus ex oleo hyosc., Chamom. inf. aliisque remediis antispasticis circulationem adjuvare.

Mensibus vel haemorrhoidibus suppressis hirudines femori, genitalibus externis vel ano pro re nata applicandae, vel si plethora majoris est gradus vena secanda est; interne remedia temperantia et alvum subducentia adhibenda sunt, quae tamen ne minimum quidem nauseam efficere debent, solutiones Kali citrat., Kali acetic. syrupo dulcificatae, Tart. depur. Saccharo admixto in aqua solutus, serum lactis etc.

Res acutae deglutitae quam celerrime mucilaginosis et oleosis v. c. emulsionibus, Gum. mimos., lacte, decoct. Salep, pulpa farinacea etc. involvendae et excernendae sunt, idem venenis sumtis fieri debet et simul antidotis convenientibus utendum est. Hirudine deglutita salis culinaris soluti aliquid propinamus atque vomitu hirudinem rejicere studemus.

§. 15.

Cura intra paroxysmum.

Si nihilominus tamen vomitus cruentus invadit, aut si medico adveniente paroxysmus jam adest, ille leniendus est.

Praecipue ad id videndum, num causae morbi toto in organismo positae vel solummodo topicae sint. Causa universalis non nunquam, quamvis raro, ejus-

modi est ut sthenicae indolis morbum effecerit. Ita ex suppressione catameniorum vel fluxus haemorrhoidalis statu abdominis plethorico orto et sub vomitu adhuc perdurante, hirudinibus applicatis, pediluviis tepidis, vaporibus etc. sanguinis congestio a ventriculo derivanda atque illae restituendae sunt haemorrhagiae seutae. Plurimis in casibus haec sufficient remedia et venaesectio non erit necessaria, sub vomitu enim sanguine amisso vasa turgentia jam collapsa sunt et affectionibus spasmodicis vomitum comitantibus aeger jam ita est debilitatus, ut magno illius detrimento esset venaesectio 1).

Multo crebrius et fere semper haematemesis asthenicae et praesertim spasticae est indolis, quamobrem in paroxysmo sedando optimum sane est antispastica uti methodo. Huc pertinent frictiones abdominis ex Ol. hyosc. inf., Ol. Chamom. inf., Ung. Althaeae c. Tinct. Opii, Liniment. ex Ol. hyosc. c. Tinct. aromat.; cucurbitulae, vesicatorium magnum vel rubefaciens regioni epigastricae applicatum, lotiones tepidae manuum et pedum, fomentationes vinosae et spirituosae partium extremarum. — Interne emuls. amygdal., papav. alb., addito Syr. Diacodii aliquantulo. Si virium prostratio magna, linctus prodest: ex Ol. amygdal. uncia una, Syr. Diacod. unciis duabus, G. mimos. drachma una; hujusce mixtionis saepius propinetur cochlear minus usque

---

1) Ludwig de ratione venaesectionis in vomitu cruento laborantibus, in ejusd. advers. med. pract. Vol. I. p. 165. etc.

ad aegroti restaurationem. In haematemesis nimis vehementis proxysmo, quem syncope partiumque extremarum frigus etc. comitantur, magni sunt effectus fomentationes manuum et pedum ex vino cui additur Tinct. aromat., frictiones abdominis ex aeth. camphorat., odoramenta naribus applicata etc. postea Sinapismi et vesicatoria. Interne autem remedia analeptica adhibenda sunt: Opium exigua dosi, v. c. Extr. Opii, Tinct. Opii croc., tum aeth. acet., haecce remedia optime conjunguntur cum aquis aethereis mitioribus v. c. aq. Meliss., aq. Flor. Aurant., Cinnam. et cum Syrupo grati saporis v. c. Syr. Flor. et Cort. Aurant., Althaeae etc. Bono cum successu hacce usus sum formula:

R. Aq. Meliss. uncias sex
Tinct. Opii croc. scrup. unum
Aeth. acet. drachm. semis
Syr. flor. Aurant. unc. semis

MS. Intervallis VI vel VIII minutorum propinetur cochlear majus usque ad virium aegri recreatioem.

Clysmata antispastica multum etiam adferunt ad leniendum paroxysmum.

Si biliosae indolis est haematemesis secundum Richterum vomitus leniter sustentandus potius est, quod autem semper magno periculo junctum, quia hujusce causae diagnosis non raro valde est difficilis, tutius igitur erit paroxysmum methodo antispastica lenire, postea autem remediis eccoproticis, clysmatibusque, tam bilem retentione forsan acris redditam, quam sanguinem coactum excernere.

Haematemesis sub partu difficili obveniens non nisi foetu arte quam celerrime edito sistetur.

Si topicae sunt causae et quidem res acres, venena, res acutae etc in illas agendum uti jam supra (§. 14) dictum, status tamen spasmodicus minime est negligendus.

Remediorum stypticorum adstringentium usus in paroxysmo minus est commendandus aeque ac frigus tam interne quam externe applicatum, experientia enim docet vomitum cruentum hisce remediis sedatum multo facilius recidivum fieri, gravioremque relinquere statum morbosum. Fr. Hoffmannus ligaturas et balnea frigida pedum et manuum profuisse affirmat 1), credit enim impetum sanguinis ad cor partesque internas hac re minorem reddi, quia sanguis tardius flueret. Ego autem, si quid recte video, pro certo habeo hisce remediis id potius effici, ut sanguis majori quantitate ad partes internas accumuletur, quia partes extremas minus permeare valet et hocce circulationis impedimento stagnatio oriatur.

§. 16.

Cura post paroxysmum.

Paroxysmo lenito illud praesertim avertendum ne recidivus fiat morbus et tunc demum in paroxysmi effectus agendum est. Alvus semper soluta servetur necesse est, quem ad finem nisi sponte reddatur, initio bis et postea semel quotidie, clysma applicetur e Flor. Chamom., Verbasci, Sem. Lini, Tarax.

1) L. c. pag. 215.

tot., Furfur. tritic. hyberni, c. vitello ovi etc; interne autem, quamdiu pulsus magnus et plenus observatur et molestiae circa ventriculum praesertim plenitudinis sensus perdurant, Kali citrat. in aq. meliss. s. Fl. Aurantii solutum, serum lactis tamarindinatum etc adhibenda sunt. Frictionibus oleosis vel vesicatorio spasmi abdominis derivantur.

Congestione sanguinis hocce modo a ventriculo aversa extracta initia optime conveniunt, Fxtr. Chamom., Valerian., Taraxac., prae ceteris autem Extr. Cort. peruv. frigide paratum sufficiente dosi: uncia dimidia solut. in aq. Menth. crisp. s. alius unciis sex, cui mixtioni si cutis arida remanet Liq. Ammon. acet. drachmae duae addi possunt, hujusce medicamenti altera quaque hora sumatur cochlear majus. Extr. Cort. peruv. quoque aliis extractis jam allatis dextre jungi potest. Serius adhiberi possunt Extr. Cardui benedicti, Inf. lign. Quass. Fr. Hoffmannus (l. c. p. 215) laudat infusum theiforme ex herba veronicae, centumnodii, summitat. millefolii, radice glycyrrhizae et sem. foeniculi, ad aliquot patellas quotidie sumendum.

§. 17.

Diaeta medicamentis succurrere debet, aeger quiete se habeat, lectum non relinquat quamdiu de morbi recursu adhuc metuendum est, ab omni cibo difficili digestu abstineat, pariter atque ab omni potu nimis frigido, facile enim hocce diaetae vitio novus oritur morbi paroxysmus, quod in altero aegroto a me observato accidit. Potus egelidi et quidem Decoct. A

thaeae, Oryzae, Malti, Hordei decorticati, panis albi s. tosti, quibuscum syrupus grati saporis jungitur, optime conveniunt aegroto, exigua tamen quantitate omnia haec praebenda sunt. Primo post vomitum die hi jam sufficiunt potus, diebus sequentibus jusculo carnis utatur et metu de morbi recursu fere oblato, caute olera tenuiora et tunc demum carnis tenuioris frusta praeberi possunt.

§ 18.

Cura radicalis extra paroxysmum in varias haematemesis causas agere debet. Menses et haemorhoides suppressae seu inordinatae, ordinentur; febris intermittens, cujus paroxysmum haematemesis comitatur, celeriter Cort. peruv. auferatur et sic porro. In quavis autem methodo indicata ventriculi debilitas probe notetur, ne remediis nimis fortius in ventriculum agentibus utamur.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS ADJECTUM.

Ego Guilelmus Fridricus Billroth natus sum Gryphiis d. VII. Mens. Ianuar. MDCCXCVII. patre optimo Ioanne Christiano Billroth juris utriusque Doctore nec non Senatui Gryphico Syndico primario, matre cujus jam plures per annos obitum doleo ex gente Masius. Primis litterarum rudimentis tam in classibus inferioribus gymnasii gryphici quam a praeceptoribus privatis imbutus in ejusdem gymnasii classibus superiobus Cel. Ahlwardt duce scholas absolvi et autumno anni MDCCCXIV. cum testimonio maturitatis a gymnasio in universitatem dimissus sum. In hac magistri mihi fuerunt Ill. de Weigel in encyclopaedia et methodologia medica, mineralogia, rebus botanicis et chemicis, materia medica et pathologia generali; Cel. Tillberg in physicis et astronomia populari; Cel. Muhrbeck in philosophicis; Cel. Wortberg in philologicis et mathematicis; Ill. Kosegarten in historia; Cel. Warnekros in osteologia; Ill. Mende in diaetetica et physiologia; Ill. de Haselberg in pathologia et therapia morborum syphiliticorum.

Autumno anni MDCCCXVI. Georgiam Augustam transmigrans Ill. Heeren historiae recentioris Europae; Ill. Bouterwek Aestheticae; Ill. Mayer physices; Cel. Hempel anatomiae tam theoreticae quam practicae; Ill. Blumenbach historiae naturalis et physiologiae; Ill. Stromeyer Chemiae experimentalis et pharmaciae; Ill. Langenbeck anatomiae et chirurgiae tam medicae quam manualis cum exercitationibus in cadaveribus conjunctae; Ill. Osiander artis obstetriciae; Ill. Himly pathologiae, materiae medicae et therapiae generalis, pathologiae et therapiae specialis, chirurgiae medicae, ophthalmiatrices et medicinae clinicae praecepta mihi tradidere.

Hieme autem anni MDCCCXVIII Berolinum me contuli ibique in anatomia practica viri illustres Rudolphi et Knape me instituerunt; praelectionibus circa anatomiam organorum sensuum, anatomiam tam pathologicam quam comparatam apud Ill. Rudolphi; circa angiologiam et neurologiam apud Cel. Rosenthal adfui; instituta clinica Perill. Hufeland et Ill. Graefe atque clinicum chirurgicum nosocomii caritatis quod gaudet Directore Ill. Rust frequentavi, nec non in iustituto clinico Ill. Berends medicinam feci.

Omnibus hisce praeceptoribus meis pio animo quas possum maximas ago gratias. Peracto autem studiorum academicorum cursu et tentamine medico examineque rigoroso feliciter absolutis, spero fore, ut post Dissertationem hance rite defensam summi in medicina et chirurgia honores more majorum mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Omnis in arte medica philosophia experientia niti debet.

II. Et arteriae et venae tunica musculari carent.

III. Aneurysma verum, vulgo sic dictum, non datur.